







NOBILISSIMO EXPERIENTISSIMO AMPLISSIMOQ.  
**V I R O**  
**MARTINO GOTHELFIO**  
**LOESCHERO**  
 DOCTORI ARTIS SALVTARIS MERITISSIMO  
 EIVSDEMQUE HAC IN ACADEMIA  
 PROFESSORI EXTRAORDINARIO  
 PRINCIPATVS ITEM VINARIENSIS  
 PHYSICO PROVINCIALI  
 HAVD ITA PRIDEM DESIGNATO  
 LONGE DIGNISSIMO  
 PATRONO FAVORIQVE SVO  
 MAXIMOPERE COLENDO  
 NOVAS HONORVM DIGNITATVMQVE ACCESSIONES  
 FAVSTAS AC FELICES CVPIIT ESSE  
**CELEBERRIMI NOMINIS LOESCHERIANI**  
 CLIENS PERPETVVS ET ADMIRATOR  
 M. GODOFREDVS VVAGENERVS  
 IVTREBOGA SAXO



**P**ermultum Graiorum in literis inesse ponderis, nemo quisquam temere negabit, propterea, quod fortes sunt, ex quibus omnis scientiae riuus fuit, tantum non in uniuersas doctrinae partes, longe lateque diffundunt. Ab Graecis certe Philosophiam omnemque ingenuas habemus artes, et, quae, ab scriptoribus prodita Latinis, posterior aetas condidit, ea profecto pleraque ex Graecis sunt scriptoribus deprompta. Vnde etiam vix ullum, qui, non uulgarem, sed ueram, sibi eruditionem, siue sacris, siue profanis, in studiis, parare studet, felices posse progressus facere, nisi Graecarum bene sit peritus literarum, a uiris, omni doctrina abundantibus, satis pridem superque demonstratum fuit. Ac, ut de aliis eruditorum ordinibus iam nihil memorem, has ipsas Graecorum literas Medico in primis non utiles modo, sed oppido esse necessarias, constat, quippe cum a Graecis potissimum ars illa salutaris ad Romanos transmissa sit, plurima item artis Medicae uocabula, Graecae genti originem debeant suam. Accedit et hoc, *Hippocratem*, diuino profus ingenio senem, ac totius adeo Medicinae sapientissimum parentem, post eumque Medicorum facile principem, *Claudium Galenum*, *Dioscoridem*, *Alexandrum Trallianum*, aliosque non paucos, uaria suos libros et multiplici tum eruditione, tum eloquentia, referatos lingua composuisse Graeca, ut, ignaros Graeci sermonis, necesse sit, omnis una commodi, quod peritiores ex eiusmodi literis fere capiunt, esse expertes. Quod si quis obiiciat, iam olim scripta ipsorum a quibusdam in linguam esse Quiritium translata, tamen, quoniam uel oscitantia quadam interpretum, uel inscitia, male plerumque sunt conuersa, crassique saepe mendis scatent, ipsis ex fontibus has auras rutilius omnino et suauius haurire licebit, ne, caecum caecus sequendo, et erroris, et ludibrii, particeps fias. Quibus ita sese habentibus, in eo complures operae multum studiique consumpserunt, Graecorum uti literas addicerent probe et callerent. In his, praeter genere Graecos, eminent, *Abraamus Berkelius*, *Albanus Torinus*, *Ambrosius Leo*, *Andreas Caesalpinus*, *Andreas Libanius*, *Andreas Planerius*, *Antonius Niger*, *Antonius Van Dale*, *Anutius Foesius*, *Bruno Seidelius*, *Carolus et Iacobus Sponius*, *Carolus Patinus*, *Caspar Hofmannus*, *Caspar Peucerus*, *Conradus Gesnerus*, *Cornelius Schreuelius*, *Euricius Cordus*, *Fortunius Licetus*, *Galeottus Martius*, *Georgius Agricola*, *Georgius Hieronymus VVelschius*, *Guilelmus Copus*, *Guil. Rondelerius*, *Hadrianus Iunius*, *Henricus Christianus Henninius*, *Hermannus Conringius*, *Hieronymus Gemusaeus*, *Hieron. Mercurialis*, *Iacobus Sebekius*, *Iacobus Tollius*, *Ioannes Antonides Lindenius*, *Io. Chentmannus*, *Io. Daniel Maior*, *Io. Gorracens*, *Io. Guinterius*, *Io. Heurnius*, *Io. Langius*, *Io. Lonicerus*, *Io. Ruellius*, *Io. Sambucus*, *Iunius Paulus Crassus*, *Iulius Caesar Scaliger*, *Leonardus Fuchsius*, *Marcus Hopperus*, *Marthius Ficinus*, *Matthaeus Sladus*, *Meibomii*, *Nicolaus Leoniceus*, *Olaus Borrichius*, *Olaus VVormius*, *Petrus Castellanus*, *Petrus Laurember-*

gius, Petrus Petitus, Prosper Alpinus, Renatus Charterius, Robertus Constantinus, Stephanus Blancardus, Theodorus Zuingerus, Thomas Linacer, Wolfgangus Lazius, aliique multo plures. Verum, quid iuuat, eorum tantummodo nomina, qui uiuere iam desierunt, per lancem quasi saturam, exponere, cum uiui adhuc permulti supersint, quorum admiratio est ingens, quosque sua ipsorum gloria tuetur? Horum in numero Te quoque, Amplissime Vir, Tuosque egregios in studiis progressus, intueri me decebit, statimque elucelcet, quam Tu sis dignus, qui Medicis, Graeca quidem etiam literatura insigniter excultis, adiungere. Neque enim uel me, uel alium quenquam, fugit, harum Te literarum studio teneri mirifice, ac tanta in iis fecisse dudum spatia, ut ornate copioseque non scribere solum, uerum et loqui, Graece queas. Atque hoc ipsum assatim et publice ostendisti, cum, paucos ante annos, in disputatione, quam D. ADAMVS BRENDÉLIVS, Vir et Artis Medicae, et Poeticae, et Graecarum una literarum, peritissimus, raro quodam exemplo, hic proposuerat, discipulandi partes in Te suscepisses, ea quidem animi praesentia, ut omnium, qui adefsent, spectatorum oculi in Te conuerterentur, ac singularis illa mentis tuae acies, promptaque et expedita disserendi facultas, doctissimo cuique auditorum esset admirationi, plaususque passim et gratulationes excitaret. Hoc insigne autem eruditionis Graecae decus et ornamentum, in cetero diuinae humanaeque scientiae apparatu, Florentissimae genti LOESCHERIANAE domesticum quasi et proprium esse, iure meritoque, et sine ulla assentandi labe, ab qua fui semper alienissimus, contendere uideor posse. Ipse, et meritis iam olim maximis, et nunc quoque senio, Venerabilis, PATER Tuus, Vittembergensium rediuius ille Ambrosius, aetatis et annorum, pro eo, quo uiget, tum animi, tum corporis, inuisito quodam robore, uelut immemor, adeo nondum expers esse uult eius, quae his ex literis percipitur, fauauit, ut non solum Christianorum ueteris aevi doctorum, sed potiorum quoque Graeciae nondum Christianae scriptorum, monumentis ardua curarum distinguere haud grauetur. Quod optimum PATRIS Optimi exemplum, quo tam praeclare Vobis praecire nunquam destitit, intuitu mature secutique estis FILII, minime omnium degeneres, nominatim Magnificus D. VALENTINVS ERNESTVS, Dresfensium ille Chrystostomus, Vir in omnibus doctrinae spatiis excellenter uersatus, earum uero, de quibus hic loquimur, literarum adeo gnarus, ut in eo uolumine, quod Ionis nomine inscripsit, plerisque omnes Graecorum origines, eruditissimo, ac, uel solum ob uarietatem, amoenissimo, exponendi genere, complexus uideatur. Eandem instituti rationem sibi tenendam esse, pridem credidit Summe Reuerendus L. IOANNES CASPAR, Coetus Diuini, qui apud Rochlicienfes in Misnia colligitur, Antistes multo uigilantissimus, qui, praeter egregium, de meritis Germanorum in literas Graecas, ductu SCHVRZ FLEISCHII, Polyhistoris, specimen, publice quondam hic exhibitum, publicas quoque dissentienti a Graece disputantibus partes sibi quon-

dam est imponi passus, quas nec sine laude defendit. Eorum Tu, Vir Experientissime, PATRIS, inquam, et FRATRVM, uefigijs insistere, uti iam praedicaui supra, dudum inlituisti, iisdemque tandem gradibus ad intimos usque ipsius Artis salutaris iisdemque tandem gradibus ad intimos usque ipsius Artis salutaris recessus, haud remissa unquam, nedum intermissa, inuestigandi contentione, penetrasti. Neque uero solum intra Vittembergae moenia hanc aluisti industriae laudem, sed, externas quoque gentes, uel ea de causa, petendas, conuisti, ut opes ingenii et doctrinae augeres magis et confirmares. Ea mentem, in illustri ad Varnum Academia annum circiter spatium commoratus, traiecisti ad Batauos, Virosque ibi doctissimos, in iis maxime Artis Tuae principes, magno numero, nec gaudio minori, offendisti. His consultatis, et praeceptis ipsorum ac sententijs cupide studioseque perceptis, huc reuertisti, non sine Tuorum, aliorumue, bene Tibi cupientium, laetitia, statimque dignus es habitus, quem Inclyti Medicorum Ordinis PATRES insignibus ac priuilegijs, in Arte sua summis, ornarent. Quos quidem honores, anno superiore proximo, publice Tibi tributos, tanta et solertiae, et uirtutis, accessione cumulasti, ut, haud ita pridem ad Potentissimum Sarmatarum Regem, et Principem EL. Saxoniae, FRIDERICVM AVGVSTVM, Patrem Patriae Clementissimum, et Serenissimum Principem Saxo Vinariensem, GVILELMVM ERNESTVM, allato de Te nuntio, commendationi locus facile daretur, alterque in Academia sua, literis pariter, ac literatis, florentissima, munus extra ordinem docendi benigne Tibi mandaret, alter in Principatu suo Physicum Te Prouincialem designaret. His de causis omnes LOESCHERIANI Nominis cultores tum gratulandi, tum gaudendi, materiam nacti sunt uererrimam, nouumque dignitatis nouae decus, quod omnium es iudicio promeritus, certatim plausibus excipiunt, ac salutem Tuam Aeterno NVMINI serio multumque commendant. Quos inter cum et ego nomen profitear, summa in Te obseruantia postulat mea, ut tempus ne praetermittam, quo deuinctissimum Tibi animum uel sic declarem. Faxit igitur Summum Praepotentemque NVMEN, quod eo nomine suppliciter et persancte ueneror, ut, omni felicitatis genere cumulatus, corpore atque animo uigens, quam longissime sis superstes, ac plura maioraque in dies dignitatum incrementa capias, Arte uero Tua, coelesti quodam munere iam antiquitus constituta, illis, qui, discendi causa, Te adeunt, modis omnibus prodesse, nec minus auxilium aegrotis, quam salutem, possis afferre. Idem ille Benignissimus DEVS, cui optima quaeque curae cordique sunt, Familiae Tuae florem splendoremque conferuet et augeat, ut de Summe Venerando PATRE Tuo, Antistite Saxonum primario, de FILIIS item Ipsius, omnia laudum praeconia supergressis, ceterisque PROPINQVIS multo Praestantissimis, Diuiniore ille Coetus, Respublica, Ordo denique Literatus, haud unas et congratulandi, et collaetandi, occasiones nanciscatur. Vittembergae apud Saxonas, A. C. MDCCXI, vii Idus Ianuarias.

EX OFFICINA CREVSIGIANA

Ung VI 3

W 18  
V 17







PERIENTISSIMO AMPLISSIMOQ.  
**I R O**  
**GOTHELFFIO**  
**SCHERO**  
 SALVTARIS MERITISSIMO  
 HACIN ACADEMIA  
 EXTRAORDINARIO  
 ITEM VINARIENSIS  
 O PROVINCIALI  
 PRIDEM DESIGNATO  
 GE DIGNISSIMO  
 FAVORIQVE SVO  
 OPERE COLENDO  
 GNITATVMQVE ACCESSIONES  
 FELICES CVPIT ESSE  
**OMINIS LOESCHERIANI**  
 ETVVS ET ADMIRATOR  
 EDVS VVAGENERVS  
 REBOGA SAXO